Nr. 220) [An Wen?] Epistola Bezæ [Wohl an Molanus] [= Msc. A. 12: Nr. 212]

Ita ex me percontaris mi frater, vnum, an verbum λάβετε, accipite, putem de manus
acceptione in institutione cœnæ Domini prorsus intelligendum. Alterum, an istam manus acceptio-
nem putem absolute, et prorsus necessario in cœnæ administratione vsurpandam, tertium
quid de eius facto sentiam, cui religio est, cœnam Domini in iis Ecclesiis participare, in quibus
panis nō manu, sed ore, absque vlla tamen superstitione, sed ex more potius, et inueterata consue-
tudine accipiatur. Ad primum respondeo, videri mihi omnino accipiendi verbum de manus pre-
[sump.] hensione in verbis illis Christi intelligi, tum quoniam propria hæc significatio est τοῦ λαμβάνειν,
[a] a qua, non est temere nobis discedendum: tum quod certum sit, Dominum cum discipulis ac-
cumbentem, retinuisse ordinarium, et vsitatum sumendi cibi modum: quum nihil in tota illa
actione servatur mandatum, aut factum, vnde contrarium deprehendi possit. Præterea, si
Christus singulis discipulis panem illum in os ingerere voluisset, certe pro accubitus ratione, aut
ipsi Christo, aut discipulis paullo remotius discumbentibus surgendum e mensa sigillatim fuisset,
etiamsi in medio illorum Christum discubuisse dicamus, sicut actio illa repræsentari a pictoribus
consuevit. Nihil autem tale ab Evangelistis narratur: imo sicut initio convivii poculum vicino præ-
bitum iussit Christus, vt postea alii aliis traderent: ita probabile est panem a Christo fractum, et
traditum, eos ex discipulis, qui remotius discumbebant, ex vicinorum manu accepisse. Deinde morem panis
manu accipiendi diutissime in Ecclesia observatum, recte D. Boquinus noster demonstrat.
De secundo sic paucis sentio. Sumptionem videlicet simpliciter, et absolute, ac prorsus necessario requiri
ad huius sacramenti vsum. Vt autem hæc sumptio, sive acceptio manu fiat, non item, quamvis qui
manu sumunt, rectius faciunt, modo id quidem sine offendiculo fiat. Ratio petenda est ex cibi terreni
ad cœlestem analogia, quæ quidem nō modo in ipsis signis panis et vini, verum etiam in ipsius actio-
[spectanda est] nis ritibus a Domino institutis spectandum est, vt qui et ipsi ex ipsius præscripto ad significan-
das res spirituales adhibeantur. Quemadmodum ergo vt cibo corporali nutriamur, necesse est, vt eum su-
mamus, vt autem manibus sumamus non item: ita etiam fide recipi Christum oportet, vt vitam æter-
nam ex eo hauriamus: quæ spiritualis per fidem sumptio sacramentali signorum sumptioni tam adum-
bratur, si vola, quam si digitis, si ore ipso, quam si manu signa accipias, vt ea postea comedas, et
deglutias. Nam certe ore sumere, et manducare duo sunt, cum nō quicquid sumitur, manducetur,
aut bibatur. Ac proinde sumptio sacramentorum minime dici possit ab iis expungi, vel omitti,
qui ore duntaxat, absque officio manus illa accipiunt. Et quod ait D. Boquinus noster ista manus accepti-
one quam optime repræsentari ipsius Christi, vel cibi traditionem, vt noster fiat, sicut vere dicitur,
ita etiam non est præcise eo usque vrgendum. At si oris quoque sumptio isti mysterio nullo modo conveni-
ret, quin potius (si subtiliter liceret in ista inquirere) quod ore ipso sumitur, magis fieri nostrum
videatur, quam quod manu duntaxat accipiatur. Cur igitur (inquies) rectius facere dicis,
qui manu, quam qui ore sacramenta sumunt? Minime profecto quod in isto sumendi discrimine tantum
positum esse existimem, sed quoniam ab ea ratione, quæ ab Apostolis, et puriore Ecclesia ser-
vata est, non sit temere discedendum. Deinde etiam quod probabile sit istam oris sumptionem
[ἀρτολατρείας] non aliunde initio quam a superstitiosa signorum veneratione profectam, quæ postea in manifes-
tam ἀρτολατρείας impietatem evasit. Itaque officium fecisse existimo qui abolita ista oris
sumptione sane monstrosa, et a malis initiis profecta, adeoque, vbi adiumentum habet talis opi-
nionem plane impia, sumptionem manus in Ecclesiis restituerunt. Sed quicquid recte fit, nō est
tamen simpliciter et absolute necessarium. Ac proinde qui istam manus sumptionem sic vrgent, vt
cœnam in iis Ecclesiis prophanari iudicent, vbi absque sumptione, ac multo magis absque impi-
etate, sed vel ex pastorum, vel magistratus oscitantia, aut quia periculosa sit repentina no-
vatio, adhuc oris sumptio retinetur, vereor (quod nulla cuiusquam iniuria dictum sit) vt ipsi
[αὐθαδεία] potius vel nonnulla rerum istarum ignorantia, vel αὐθαδεία peccent. At enim inquiunt, iu-
bemur facere, quod fecit Dominus. Concedo, sed ita, vt in illis etiam, quæ facienda præcepit,
primariam, et consilii ipsius intentionem (vt loquuntur) ob oculos semper habeamus. Formam autem
nec temere mutemus quidem vllo modo, si præcise mandata sit, nec tamen quod per se non
est necessarium, amplius, quam par sit vrgeamus. Iussit Christus nos baptizari, quo verbo cer-
tum est significari immersionem. Num igitur male baptizantur, qui aqua tantum inie-
cta asperguntur? Imo quod est in illa actione mere substantiale (nempe aquæ ablutio)
recte observatum est ab Ecclesia, immersio vero pro ætatis, et regionum conditione vel [illegible]
[quomodo] vel in simplicem aspersionem nulla cum baptismi imminutione, quomodo ~~cum baptismo~~ commuta-
ta est. Sed et in hac ipsa actione, quam instituerit Dominus, probabile est (vt ante dixi) alios
ex aliis panem, et poculum accepisse, adeoque omnes ex vno poculo bibisse. Num igitur peccare di-
cimus Ecclesias, apud quas non alii aliis sacramenta tradunt, sed ex ministri, vel Diaconi manu
omnes sigillatim accipiunt, ex diversis etiam poculis bibentes? Minime profecto: quoniam ipsa
sumptio non autem sumendi modus præcise præscribitur. Alioqui ostendant nobis oportet, qui ali-
ter sentiunt, quid peculiaris mysterii in ista digitorum prehensione lateat. Hæc autem, vt
melius etiam liqueant, age paullo etiam plenius hoc pertractemus.

Sacramenta divinæ sunt institutionis, itaque humana auctoritate nihil illis addi, aut detrahi debet,
sed quidnam adiicere quippiam, quidnam detrahere merito dicatur, hoc ipsum est de quo quæritur.
Qua de re cum multa dici possint, ea demum nunc attingam, quæ ad nostrum institutum pertinent.
Ex his igitur quæ fecit ipse Christus, et facienda nobis præcepit, quædam esse dico, quæ si quis
vllo modo omittat, nullam cœnam Domini dici possit celebrare: alia vero, quæ etiamsi nō
eo ipsa prorsus forma fiant, qua facta sunt a Domino, tamen habita intentionis, quam vocant,
ratione, rite fieri dicantur, quædam denique, quæ vt mutari, minime tolli sine iusta reprehensione
non possunt, tamen non tanti sunt momenti, vt propterea vel existimandum sit, cœnam ibi nullam celebrari,
vel illi sic mutilatæ interesse pii bona conscientia nō possint.

Primi generis sunt, verbum institutionis Domini, quod est totius actionis veluti anima quaedam, et id quidem pure explicatum, ut integrum salutis maneat doctrinae fundamentum: praeterea minister aut legitime vocatus, aut certe in legitima cathedra sedens: signorum denique datio, et sumptio. Itaque ubi vel nullum, vel adulterinum verbum est, vel explicatio illi verbo adiicitur, quae fundamentum necessario tollat, item ubi mere privatus quispiam ministrat, vel signa aut non dantur, aut non sumuntur, ibi coena Domini nulla est, sed falsum prorsus ac inane coenae simulacrum.

Secundi generis sunt ipsa signorum materia, et nonnullorum rituum a Domino institutorum forma, ut exempli gratia panis, et vinum sunt coenae signa ex Domini institutione. Ubi igitur panis aut vini vel nullus est usus, vel nulla certo tempore copia, num coena Domini nulla celebrabitur? Imo vero rite celebrabitur, si quod panis aut vini vicem, vel ex usu communi, vel pro temporis ratione suppleat, panis aut vini loco adhibeatur. Haec enim mens fuit Christi cum panem ac vinum ad haec mysteria delegerit, ut propositis earum rerum signis, quibus corpus nostrum alitur, veram alimoniam spiritualem, veluti ob oculos repraesentaret. Itaque a Christi sententia nihil aberrat, qui nullo prorsus novandi studio pro pane et vino substituat, quae etsi non parem: similem tamen alimoniae analogiam habeat. Desit etiam aqua, et tamen baptismus alicuius differri cum aedificatione non possit, nec debeat, ego certe quovis alio liquore, non minus rite, quam aqua illum baptizarim. Neque aliter de his rebus ipsi etiam superstitiosissimi Scholastici scriptores censuerunt. Quod si res ita est, cum agitur de ipsa signorum materia, quae longe maximi est momenti, idem multo magis sentiendum est, de quibusdam, quantumlibet alioqui retinendis mysteriorum ritibus, sicut paullo ante diximus de aspersione in locum immersionis apud nos substituta. Idem quatenus sentiam de ista manus acceptione paullo ante dixi, nempe retineri quoque ac probe servari ipsum Christi consilium, etiam ab iis Ecclesiis ubi sumptio ista, quae prorsus necessaria est, observatur, etiamsi manuum ministerio non fiat, modo quidem novandi studium, superstitio, ac praesertim idololatria omnis absit.

Tertii generis est panis fractio tanti sane momenti, ut qui illam non adhibent, Christum quodammodo non immolatum, neque vetere illa victimarum legalium dissectione adumbratum, sed totidem pene Christos, quot singulares panes tradere videantur: quod quidem illos maxime velim perpendere, qui istas papisticae corruptionis reliquias in Ecclesiis sibi commissis nondum profligarunt. Sed an propterea nulla ibi coena est, ubi vitium quippiam in hoc ipso, vel alio eiusmodi ritu admittitur? Certe mihi aliter videtur. An enim obsecro aliter est de Sacramentis et de doctrinae appendicibus, quam de doctrina ipsa iudicandum? Atqui si nullam esse Ecclesiam dicimus, nisi ubi nullus est prorsus in cunctis doctrinae Christianae dogmatibus naevus, refellent nos Paulli Epistolae Corinthiis, et Galatiis Ecclesiis inscriptae, quum tamen a nonnullis ambigeretur. Et certe nisi ita constituimus, in qua tandem orbis terrarum Ecclesia, satis secure consistemus? Itaque ubi non satis pura est Ecclesia, Ecclesia tamen est, in qua salvum manet fundamentum, ac multo magis ubi actio coenae diminuta est, coena tamen est, si praecipua, et mere substantialia conserventur, etiamsi singulis offulae in os ingerantur.

His positis quid de tertio quaesito sentiam facile aestimare potes: gravissime nimirum, et in semet ipsos, et in fratres reliquos peccare, qui naevis istis, aut etiam si mavis corruptelis, et suas, et aliorum conscientias non leviter perturbant, perinde ac si de Christianismo semel sublato ageretur. Neque vero haec dico, quasi vel manus sumptionem, vel panis fractionem, inter res plane indifferentes numerem, vel ad eas corruptelas connivendum putem, tantum abest ut earum auctoribus, vel fautoribus, subscribam: sed quoniam vitia a vitiis et quae condonanda sunt Christianae caritati ab iis quae prorsus sunt execranda, prudenter distinguenda esse iudico, idque tamen non ex carnis, sed spiritus prudentia. Esto enim vitiose hoc vel illud a nonnullis fiat, aut praetermittatur, an propterea Christiani non sunt, nec pro fratribus habendi? Nam certe fratres non durius quibuscum sacram communionem habere nefas nobis esse ducimus. At enim inquiunt, sic videmur illorum peccatis communicare. Imo falsissima est haec consecutio. Nec enim ut rite ad coenam accedam, scrutandum est mihi, qua quisque conscientia ad eam mecum accedat, sed de mea ipsius conscientia mihi laborandum est. Itaque et cum adulteris, et cum homicidis, et cum sceleratissimis quibuscunque, modo nulla mea culpa tales sint, si ad coenam castus, et sceleris purus accessero, nihil illorum impuritas mihi nocuerit. Et quod de moribus dico, etiam de doctrina dico, quam interdum nec Pastores satis pure tradunt, nec auditores satis recte percipiunt. Dicam etiam amplius, si vel Turcam, vel Iudaeum pastor quispiam, sive prudenter, sive imprudenter admitteret, tota illius facti culpa in illum recideret, nec ego propterea cunctanter ad mensam Domini accessero. Quoniam alterius conscientia impura, modo extra culpam sim, meam, quae pura est, non polluit. Et ea ipsa coena mihi pura est, quam impurus ille profanabat. An igitur obsecro eius Ecclesiae corruptela polluimur, quae vel ignorantia, vel infirmitate peccet aliquatenus in coenae administrandae ritu, ideoque tanto nos ipsos beneficio ultro privabimus, et infirmiorum conscientias perturbabimus? Verum, inquient, ut non inquinemur eo peccato, attamen fovere eorum errorem sic videbimur. Imo ne hoc quidem satis recte dicitur. Quid enim absurdius est, quam eum accusare tanquam alieni vitii fautorem, qui, ut fratrem lucretur, eius infirmitatem tolerat? Tibi non frangitur panis, sed integer datur, tibi in os, non in manus praebetur, nulla tamen vel superstitione, vel impietate probabili. Laudari sane id nec potest, nec debet: at tu certe id peccatum non committis, quod in te potius committitur. Condemna igitur apud te, atque etiam, prout sese occasio offeret, reprehendito id quod in te delinquit infirmus frater, et commodam quaerito aedificandi illius rationem. Interim sedulo cave, ne quasi de Christianismi summa agatur, offensus resilias, et praepostera tua severitate illum perdas, illum quidem destruas, te ipsum autem oblato illo beneficio prives. Etsi enim non fractus, sed integer, non in manus, sed in os tibi panis ille non recte datur, panis ille tamen, quem tibi datum recusas, quia non satis recte datur, Christi corpus est, et vinum quod oblatum refugis, Christi sanguis est, sacramentaliter videlicet: ut tam duplicis peccati, nempe et contristati infirmi fratris, et neglecti tanti boni crimine tenearis. Vale. [Die 3. Januarii 1573]

Theodorus Beza Vezelius.